

a legione omnes remissi sunt domum Thebis. **AP.** <Quis hoc>
dicit factum? **E.** Ego ita factum esse dico. **P.** Scin tu istuc? **E.** Scio.
PER. Qui tu scis? **EP.** Quia ego ire vidi milites plenis viis;
arma referunt et iumenta ducunt. **PER.** Nimis factum bene.
EP. Tum captivorum quid ducunt secum! pueros,
virgines, 210
binos, ternos, alius quinque; fit concursus per vias,
filios suos quisque visunt. **PER.** Hercle rem gestam bene.
EP. Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
obviam ornatae occurrebant suis quaeque amatoribus, 215
eos captabant. id adeo qui maxime animum advorterim?
pleraeque eae sub vestimentis secum habebant retia.
quom ad portam venio, atque ego illam illi video praestolarier
et cum ea tibicinae ibant quattuor. **PER.** Quicum, Epidice?
EP. Cum illa quam tuos gnatus annos multos deamat, deperit,
ubi fidemque remque seque teque properat
perdere; 220
ea praestolabatur illum apud portam. **PER.** Viden veneficam?
EP. Sed vestita, aurata, ornata ut lepide, ut concinne, ut nove.
PER. Quid erat induta? an regillam induculam an mendiculam?
EP. Inpluviatam, ut istaec faciunt vestimentis nomina.
PER. Vtin inpluvium induta fuerit? **EP.** Quid istuc tam mirabile est? 225
quasi non fundis exornatae multae incedant per vias.
at tributus quom imperatus est, negant pendi potis:
illis quibus tributus maior penditur, pendi potest.
quid istae, quae vesti quotannis nomina inveniunt nova?
tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium, 230
indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,
subparum aut subnimum, ricam, basilicum aut exoticum,
cumatile aut plumatile, carinum aut cerinum — gerrae maxumae.
cani quoque etiam ademptumst nomen. **PER.** Qui? **EP.** Vocant Laconicum.
haec vocabula auctiones subigunt ut faciant
viros. 235